



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

83. An sponsio dantis centum pro reddendis 300. Si filia vixerit modo, quo
infra explicatibur, sit licita? Ex p. 7. tr. 9. res. 71.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

dam, vel non obtinendum à Petro, propter eandem rationem. Cauendam tamen est ne per extu sponsonis palietur promissio, quia aliquis alliciat ad procurandum beneficium Petro, vel simile aliud peccatum, est enim speciosus quidam titulus subornandi electores, vel iudices. Et hæc omnia docet Lugo, & Sanchez *locis citatis*.

RESOL. LXXXII.

An census vitalicius sit licitus, quia reducitur ad contratum sponsonis? Ex p. 7. tr. 9. Ref. 70.

Sup. hoc in
Ref. p. 7. tr. 9.
§. Norandū.
& in alio
cuius not.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè, qui enim dat 100. v. g. Caio, cum pacto, vt det singulis annis 10. vel annorum maiori, quam vt numerus aureorum sufficere possit ad dandos 10. vel 12. singulis annis; Caius contra spondet fore minorem numerum annorum; si ergo qui dat 100. superuixerit n. 10. vel 8. annorum, quo spatio exhauritur summa deposita, lucrabitur 10. vel 12. aureos tot annis, quot superuixerit; si non pertingat, contra amittit Caio lucrificandos. Quia ergo incertus est exitus vite, & æquum æstimatur esse periculum amittendi, & spes lucrandi; ideo iustus eiusmodi contractus videtur. Et ita docet Filliucius *10. 2. tr. 37. c. 2. n. 34.*

RESOL. LXXXIII.

An sponso dantis centum pro reddendis 300. si filia vixerit, modus quo infra explicabitur sit licitus? Ex p. 7. tr. 9. Ref. 71.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondeo: & ideo ad hanc sponsonem & genus ludi, reducitur ille modus efficiendi dotem filia, quo Pater, nata, filia, dat alicui mercatori centū aureos, cum pacto, quod si filia vixerit anno 13. reddat trecentos aureos pro eius dote, & si ante prædictum annum mortua fuerit, totum lucretur, qui modus est licitus, non vt aliqui dicunt, quia habetur ratio fructuum, vt tantum detur anno 13. quantum illa pecunia toto illo tempore cum fructibus similiter negociationi semper expositis, mercator lucratus fuerit, vt intelligatur quedam societas, nam hac ratione potius est illicitus, quia in hac societate, vsque ad annum 13. Pater nimis grauatur, nam si filia moreretur anno 12. perderet capitale cum fructibus, quæ omnia lucraretur socius, cuius conditio est longè melior, & si dicatur hoc esse ratione assicurationis capitalis, & fructuum, casu quod filia sit viua; responderetur, quod ista assicuratio non est tanti æstimanda; dicimus igitur, quod iste contractus iustificatur, etiam si non habeatur ista ratio & pactum sit, quod anno 13. si vixerit detur longè amplius, quam quis prædicta pecunia lucrari posset, quia potest admitti & sustineri tanquam ludus de futuro euentu, in quo, vt videmus sæpè, quis deponit paruum summam contra magnam breui etiam perdendam, aut lucrandam; & miror quosdam dixisse esse vsuram, nam si filia illum annum non attigerit, nihil soluendum est, nec fors principalis restituenda, & cum iste contractus non iustificatur, vt societas, sed vt ludus, vel vt contractus innominatus, do vt des, non est vsura, etiam si pecunia detur mercaturam non exercenti, sed mercaturam exercenti, cum recepta lucretur, potest se maiori periculo ex-

In indice primo huius Tom. 6. Vide Apendicem ad hunc Tract. 4. Vbi inuenies alias pauca quæst. mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. quæ simul pertinent ad hunc Tract. 4. de Ludo & Sponsonibus.

ponere. Et hæc omnia docet Philiaricus *de offic. Sacerd. 10. 2. p. 2.* cui adde Scacciam *tr. de Commer. §. 1. q. 1. c. 199.*

RESOL. LXXXIV.

An si quis accipit à Caio 100. eo pacto, vt teneatur reddere 200. si post anno, duos redeat in patriam, vel vxorem ducat, vel Presbyter fiat, sit sponso licita? Ex part. 7. tr. 9. Ref. 72.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè: nam hic contractus reducitur ad contratum sponsonis; Titius enim spondet 100. amittendos si Caius ad patriam non redierit intra duos annos, vel non sumat vxorem, vel non fiat Presbyter; Caius contra spondet 200. si redierit saluus, vel duxerit vxorem, vel Presbyter fiat. Et quoniam est incertus rei euentus, supponitur enim Caium liberum esse, & posse Romam ire, vel non ire, ducere item vxorem, vel non, &c. ideo licitus & iustus erit. Et ita docet Azorius *10. 3. lib. 1. c. 2. 1. dub. 1.* vbi sic ait. Queritur an sit licitus contractus, qui frequenter fieri solet in Flandria, & Gallia, v. g. Titius accipit à Caio 100. nummos aureos, ea conditione, vt Titius reddere teneatur 200. si post duos annos visa Vrbe Roma saluus redierit in patriam, vel si vxorem duxerit, vel si fiat Presbyter: Respondetur, huiusmodi contractum esse licitum, & iustum, quia in hoc contractu est quedam incertitudo euentus futuri, ob quam uterque Titius, & Caius ex æquo lucrificare, vel perdere possunt; nam Caius, qui dedit Titio 100. nummos aureos, acquirit sibi, 200. si redierit Titius incolumis, & saluus in patriam: vrbe Roma visa, aut si Presbyter fiat, aut si vxorem ducat; quæ singula sunt dubia, & incerta: si minus, hoc est, si Titius non redierit incolumis post duos annos, visa Roma, idem Caius amittit 100. nummos, quos dederat Titio, & eos sibi Titius acquirit. Vnde non est mutuum in hoc contractu, quia Titius accipiens 100. nummos à Caio, non tenetur in omni euentu toridem reddere Caio, sed sicut Caius potest lucrificare 100. ultra 100. quæ dedit Titio, sic etiam Titius potest lucrificare 100. quæ acceperat à Caio. Ita Azorius, & post illum Filliucius, *10. 2. tr. 7. c. 2. n. 32.* quibus omnibus superius allegatis adde etiam Scacciam *in tr. de Commer. §. 1. q. 1. n. 97.*

RESOL. LXXXV.

An sit licitum dare Caium 100. eo pacto, vt si post annum vixerit, reddat 200. si moriatur, nihil reddat, vel si vixerit, reddat 100. si vero moriatur hæreditibus reddat 80? Ex part. 7. tr. 9. Ref. 73.

§. 2. **R**espondeo affirmatiuè: est enim genus quedam sponsonis, in quo Titius, & Caius ex æquo se exponunt lucro, & damno pro euentu dubio & incerto. Et quamuis Titius se exponat maiori damno, quam lucro nam si moriatur perdit 15. si vixerit lucratur tantum 10. Tamen probabilius æstimatur Titium victurum, cum sit aliqui sanus, & vegetus, ideoque vt sit iusta sponso, debet maiori periculo se exponere, sicut si probabilius indicaretur fore, vt moriatur, deberet minus perdere, & plus lucrificare. Et ita docet Azorius *10. 3. lib. 1. c. 2. 1. dub. 2.* Filliucius *10. 2. tr. 37. c. 2. n. 31.* quibus adde Scacciam *tr. de Commer. §. 1. q. 1. n. 99.* & Bonacinam *de restit. disp. 2. q. 3. punct. 1. n. 18.*